



MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Lunae die 2 m. Aprilis a. 1984 in lucem editus
est primus Melissae fasciculus. Post decem annos
licet interrogare num siveles manserimus propositis
nostris initialibus.

In primi fasciculi scripto incohativo legitur hoc:
«Propositum nostrum est consuetudines cum
hominibus quam plurimis iungere ut Latinitatem
vivam hodiernam inveniant.» Quod propositum
imprimis ad Europaeas gentes spectat cum lingua
Latina earum cunctarum sit lingua nobilior et per
tantum aevum eas efficaciter adiuverit ad pacificum
litterarum commercium inter se habendum.

Re vera Melissae moderatores ab initio usque
adhuc conati sunt cum pluribus hominibus
consuetudines Latinas iungere. Sic factum est ut
ante sex septimanas iter facerent in Russiam, ubi
una cum professore Thoma Pekkanen Finno in
studiorum universitate Petropolitana manum
Russorum latinizantium convenerunt, inter quos
Professores Zajcev et Gavrilov.

Seitu enim dignum est Russiam etiam ad orbem
litterarum Latinarum pertinere. In urbe Petropoli
est magna statua equestris Caesaris Petri Primi ex
aere fusa atque in ingenti rudique saxo imposta.
Quam statuam in honorem conditoris Russiae
modernaes Caesarissa Catharina II curavit
erigendam eique dedicavit Latina inscriptione in
saxo imposta.

In studiorum universitate cum omnibus
seminarii participibus tantum Latine collocuti
sumus, sine ulla communicationis difficultate.
Collocutores nostri non insanum ducebant Latine
loqui. Inter alia ibi commemoravi Carolum
Ernestum a Baer, doctum zoologum qui, cum ab
epistulis Academiae Imperialis Scientiarum
Petropolitanae factus esset, epistulam

gratulatoriam ad Academiae sodales anno 1827
misit, adiuncto opusculo c.t. «De ovi mammalium
et hominis genesi». In quo opusculo inventionem
suam magni momenti verbis Latinis explicabat;
primus enim detexerat hominis primordia, quae
praeter multas aliorum indagationes diutissime
latuerant.

Petropoli nobis etiam licuit professorem
Iacobum Borovskij centesimum annum agentem
convenire, qui paucissimis diebus post infelicer
vita functus est; de quo luctu in hoc fasciculo refert
Thomas Pekkanen. Iacobus Borovskij, qui illo
tempore iam adultus erat, quo communistae duce
Lenino Russiae statum verterunt, satis diu vixit ut
eorum regimen concidere videret. Cuius regiminis
tempore litteras Latinas in universitate
Petropolitana strenue docere perrexit. Quamquam
numquam e Russia itineratus est, inter Academiae
Romanae sodales conditores numeratur. Cum
populares tum extraneos Latinistas semper
hortatus est ut Latine scriberent et loquerentur.
Magna est eius fama, maxime eum venerantur
discipuli, qui eum cognominaverunt «Petropolos
lumen».

Ille grandaevus erat cum restituta est civium
libertas in Russia. Hoc et tunc praecipue fuit cordi,
ut linguae classicae, quas communistae e scholis
expulerant, ibi iterum docerentur. Sic factum est
ut eius auctoritate gymnasium humanisticum ante
quinque annos Petropoli iterum institueretur.

Quamquam omni data occasione homines
quibus vita sermonis Latini cordi est convenire
conati sumus, nos non fallit multo plures extare,
quos ignoramus et qui de nostris actuositatibus
numquam quicquam audiverunt. Hi infeliciter
tam sparsi sunt ut singulos expiscari perdifficile




*Sub statua Petri Primi inscriptum est
in saxe: "Petro Primo Catharina
Secunda MDCCCLXXXII". (Petropoli)*

sit; plus temporis opus est quam adhuc nobis fuit. Praeterea non adiuvamur ab eis fere omnibus qui linguam Latinam sive in scholis sive in universitatibus docent. Viam enim nostram, quae ad linguae Latinae usum dicit, ingredi nolunt; cum haec via eis videatur esse nimis ardua, malunt profiteri orthodoxiam hodiernam secundum quam lingua Latina obsolevit.

Magna tamen perspicientia non est necessaria ad comperiendum semitam orthodoxorum in annos artiorem incertiorumque fieri. Continuo minuitur in scholis pars institutioni linguae Latinae tributa, ita ut multis in regionibus iam non doceatur, in ceteris plerumque liceat discipulis statuere quamdiu eam discant. Quid gaudii, qualem fructum capere possunt discipuli qui etiam in fine mediorum studiorum neque habiles sunt ad textum Latinum legendum neque ad parvam sententiam Latinam confingendam?

Mirum est comperire multos praepollentes docentes nostri temporis optimos socios factos esse istorum, qui linguam Latinam extinguere conantur. De qua re si quis dubitat legat haec in magno Nederlandiae diario (*Nieuwe Roterdamse Courant*) divulgata: *'P.H. Schrijvers cathedralicus professor linguae litterarumque Latinarum in studiorum universitate Lugduni Batavorum (v. Leiden) a diurnaria Annula Visser interrogatus de Academia Latinitati Fovenda cuius est sodalis dixit haec: Est res alienigena, "reactionaria"⁽¹⁾ atque "elitaria"⁽²⁾. Academia condita est ante 25 annos, cui scopus principalis esset usum linguae Latinae inter homines doctos augendum curare. Ego tamen linguam Latinam duco mortuam; Latine scribere vel*



loqui "iam non vivit" (?) (in textu originali: "leeft niet meer"), in occidentali quidem Europa. In Belgica et Nederlandia lingua Latina lente sed certe moritur. Universitati Latinistae in Nederlandia facile contineri possunt una autoraeda. In orientali autem Europa lingua Latina renascitur. Cum Romae nuper participarem coetum Academiae, comperi praesentes orientales collegas tantum Latine loqui velle. Eis tempore regiminis communistici lingua Latina fuit signum libertatis atque humanitatis. Hoc iam non valet, cum status politicus mutatus sit. Oportet nunc caveant a populo qui dicit: "Cur lingua Latina, si ipsa ecclesia eam reliquit?"⁽³⁾ Ipse, cum post coetum audirem globulum collegarum Latine colloquentium, cogitavi: "Iam satis! Nonne simplicius Anglice colloqui possumus?"

In eodem tamen scripto prof. Schrijvers confiteri debet gymnasia humanistica iterum florere in Europa orientali. Quae cum ita sint, patet Latinitatis cultores in dies plus seiungi a plerisque eorum, qui munere funguntur linguae Latinae docendae. Hoc dolendum esse censemus, sed maxima magistrorum pars probabiliter non multum flebit quod cultura antiqua sermone vernaculo potius erit docenda quam ipsa lingua Latina. Pauci universitarii professores qui supererunt, in sua zotheca inclusi, certe gaudebunt quod nemo iam erit qui eorum scientiam linguae Latinae temptet.

Putamus extrascholarem institutionem Latinam fieri necessariam ne ei, qui linguae Latinae proprietatem sibi vindicant propter professionem, eius extinctionem consummum. Quamquam satis multi sapientiores homines monent culturam nostram traditam esse fundamentum necessarium



quo Europaeae gentes inter se consociari possint, nimis pauci aequalium nostrorum adhuc intellegunt quantae utilitatis in praesenti contextu historico usus restitutus linguae Latinae.

Quare Melissa suis initialibus propositis firmiter stat atque professori Schrijvers eiusque aemulis respondet: *Iam satis de eis qui rem docere postulant cuius mancam habent notitiam. Deinde lingua Anglicana non valet gentium affinitatem adstringere in orbe nostro culturali, cuius ipsa tantum est una e filiabus. Certe neque Francogallineque Germani, ut eos exemplum eligam, suum sermonem patrium Anglico impar aestimabunt.*

Denique linguae vernaculae continuo mutantur, ita ut earum status anterior nunc appareat obsoletus quin etiam inintellegibilis. Quod breviter contrahitur hoc paradoxo: linguae "vientes" diem ex die moriuntur. Singularitas momentumque linguae Latinae in eo sunt, quod pertantum aevum mansit integra instar adamantis.

- (1) "reactionarius": quod adiectivum novatum adhibere debemus cum agatur de recentiore notione politica. Nam vocabulum Francogalicum "réaction" primum sensu politico adhibitum est anno 1795 ad opinionem nominandam eorum qui tunc contra rerum mutationem anno 1789 incohatae agebant. Adiectivum et substantivum "réactionnaire"

adhibetur ab anno 1796. Anglice eodem sensu exstat "reaction". Nederlandice: "reactie", "reactionair". Theodisce: "Reaktion", "reaktionär".

- (2) "elitarius": hic occurrimus cuidam difficultati. Iterum agitur de nova sed nunc temporis perusitata notione politica. Vox Francogallica "élite", quae initio est quaedam forma participii praeteriti passivi verbi temporalis "élire" (Lat. eligere), fit substantivum, quo significatur "electio" usque ad XVI saec. Inde bene intellegitur locutio "troupe d'élite", qua significatur "manus fortiorum militum", cum e militum turba electa sit. Factum est ut locutio "d'élite" valeret pro adiectivo cuius significatio est "melior", "praestans", "eminens". Substantivum "élite" significationem sociologicam acquisivit; quo vocabulo denominantur homines in civitate praecellentes vel excultiores. Vocabulum Francogalicum "élitisme" confectum est anno 1967 ad systema educationis denominandum quo adulescentes studiis aptiores diligentius perfectiusque docerentur, qui ceteris postea praecellerent. Ceterum idem verbum acceptum est in aliis linguis vernaculis. Unde, in Latino: elitarii, elitarius, elitismus. Si quis non assentitur, nos moneat quae sumus.
- (3) Non intellego cur hoc de Russis dicat, quia in eorum regione Ecclesia numquam adhibuit linguam Latinam in officiis divinis. Etiam in regionibus ubi viget protestantismus officia divina semper sermone vernaculo celebrata sunt.

Gaius LICOPPE

NUNTII LATINI

AB KALENDIS
SEPTEMBRIIBUS
MCMLXXXIX
AD PRIDIE KALENDAS
SEPTEMBRES
MCMXIII

LATINANKIELISET UUTISET
NEWS IN LATIN



NUNTII LATINI

March 27 – September 24, 1994

CD: VARIATIONES
HORATIANAE
JAZZICAE

| | GMT | kHz | Satellite |
|-------------------------------------|-------|---|----------------|
| EUROPE | | | |
| Sat | 19.23 | 15440, 11755, 9770, 9730, 6120, 963, 558 | Eutelsat II-F1 |
| Sun | 04.53 | 15440, 11755, 9655, 6120, 963, 558 | Eutelsat II-F1 |
| Sun | 13.53 | | Eutelsat II-F1 |
| THE MIDDLE EAST, EAST AFRICA | | | |
| Sun | 04.53 | 15440, 11755, 9655 | Eutelsat II-F1 |
| NORTH AMERICA | | | |
| Sun | 01.23 | | ASC-1 |
| Sun | 13.53 | 15400, 11900 | |
| ASIA, AUSTRALIA | | | |
| Sat | 22.53 | 13750 | |
| Sun | 08.23 | 17800, 15445 | |
| SOUTH AMERICA | | | |
| Sat | 22.53 | 11755 | |
| FINLAND (local time FM) | | | |
| Fri | 09.55 | | |
| Sun | 17.55 | YLE Radio 1 (national network) | |

Read NUNTII LATINI in books I and II
with English and Finnish summaries

More details: Yleisradio/International Information,
PO Box 10, FIN-00241 HELSINKI

DE RUSSIA QUID ELZEVERII NARRAVERINT

REFERT FRANCISCA DERAEDT



taque, lector, iam scis (cfr p. 1) Melissam iter Petropolin modo fecisse, ubi seminarium Latinum participaret. Cum hic conventus mihi esset prima occasio regionem illam obeundi, ad iter parandum nonnulla volui de Russia legere. Est autem in nostra bibliotheca liber ut ita dicam periegeticus, anno 1630 Latine scriptus - Petropolis tunc nondum est condita -, quo agitur «de Russia seu Moscovia». Meliorem invenire non poteram, cum propositum esset Petropoli deliberare de usu linguae Latinae inter populos redintegrando.

Nostris temporibus plerique dubitant de usu hodierno linguae Latinae: putant eam sive esse nimis difficultem sive nimis pertinere ad homines doctiores, ad elitismum, ut aiunt, id quod putatur esse contra democratiam. Potius proponunt linguam Anglicam, quae tamen multis populis non ita placet, vel linguam Esperanticam, quae est omnino artificialis atque ea de causa eget historia culturaque.

Ante pauca autem saecula lingua Latina non videbatur nimis difficilis; e contrario, hic modus communicandi inter populos habebatur omnino naturalis. Itaque illud saeculum septimum decimum nobis est pulchro exemplo: nam illo tempore omnis homo sciebat Latine, dum esset, non dicam doctus, sed satis quidem eruditus. Libros Latine scribere non solum erat vulgare, sed etiam multo facilius quam versiones conficere in multas linguis.

Hoc bene intellexerant editores Batavi Elzeverii. Hoc nomen Elzevirianum pertinet ad claram familiam quae XVI saec. et XVII saec. plurima opera in lucem edidit, imprimis Lugduni Batavorum, postea Hagae Comitis, Havniae, Traiecti, Amstelodami. Quorum inter notissimos numerantur Bonaventura et Abraham eius nepos.

Lectoribus satis eruditis proponebant seriem parvorum librorum Latine scriptorum, quorum lingua non esset Ciceroniana sed, quamvis elegans, tamen simplicior et facile intelligibilis, librorum quibus homines multa disserent de regionibus longinquis, quales ibi essent homines, commercia facienda, res politicae, historicae, gastronomicae, qualia essent flumina, silvae, mores incolarum.

Eorum minimi libri sunt tam celebres, ut in lingua Francogallica nomen Elzeverii factum sit nomen commune, quo designantur et talia opuscula

et talis modus imprimendi.

Libro nostro non est verus auctor; editores Bonaventura et Abrahamus Elzeverii testimonia collegerunt variorum hominum, qui sunt scriptores, viatores, legati, alii clariores, alii ignoti. Qua de causa nonnullae differentiae percipiuntur, sicut in locis nominandis: eadem urbs alibi nuncupatur Novogrodia (p. 19), alibi Novogrod (p. 89), alibi Novoguardia (p. 167).

Est autem liber ita attractivus, ut nonnulla excerpta vobis proponere velim. E quibus animadvertis hanc lingua esse intellectu facilissimam, quamquam non vult esse simplificata, sed omnino classica et recta. Ceterum fortasse placebit audire, quid septimo decimo saeculo Europaei narraverint de regione extranea.

*
* *

 i quis regionem ignotam est lustraturus, eivasa colligenti imprimis quaerendum est, qualem tempestatem ibi sit inventurus. Si iter hiemale audebit suscipere, haec erit eius condicio:

•Aer hisce mensibus supra modum est frigidus, ita ut guttae aquae in sublime iactae congelentur antequam decidant: frigus autem adeo penetrabile, ut multi in ipso foro et alii alibi in campis iter agentes aut penitus deficiant, aut aegre membris exterioribus mutilati evadant. Nonnumquam hieme supra modum saeviente, lupi atque ursi catervatim e silvis fame cogente erumpunt et obvios quosque dilaniant, paganosque interdum in tuguriis suis opprimunt. (p. 57-58)

Verno autem tempore res aliter se habent:

•Vere vero ineunte tanta repente mutatio incidit, ut silvae subito revirescant, gramina emergant, flores emicent, sata pullulent, aves et praesertim lusciniae tam suaviter ubique concinant, ut nihil ad amoenitatem regionis addi posse videatur. (p. 58)

Fieri etiam potest, ut viator cogitet de rebus ibi emendis vel de donis ad familiam reportandis.

Quid est proprium Russiae? Imprimis...

•Pelles variorum animalium, quibus et incolae contra frigoris violentiam corpora sua muniunt, et ingentem earundem copiam advenis mercatoribus vendunt; tam opulento commercio, ut observatum sit nonnullis annis tantam copiam enectam, quae pretium quadringentorum aut quingentorum milium rublarum superaverit. Inter pelles hasce primum locum sibi vendicant zebellinae sive sabellinae; quas Pechora provincia subministrat praestantissimas; quibus hodie feminarum luxus ingerens interdum pretium in Europa ponit. Ceterae sunt vulpes nigrae et rubrae, quibus Siberia abundat, atque etiam albae; martes, castores, hermelinorum pelliculae pulcherrimae, luporum, lyncium, etc.» (p. 60-61)

Itaque futurus viator iam scit praecipua: scit vestimenta calida esse induenda atque pellem zebellinam in Russia emendam pro uxore sua.

Sed fortasse etiam vult scire, quales homines ibi sint obvii: de ingenio et moribus Russorum multa miranda narrantur. Nescio num omnia sint vera: ipsi iudicetis. Inter alia legi mulieres magna cum delectatione vapulare atque maritorum benevolentiam in se aestimare ex... verberum numero.

Quod sero comperit quidam Germanus:

•*Quidam e Germania in Moscoviam migraverat, vir e plebe, et, si nomen in tantilla re placet, Iordanes dicebatur. Haesit ergo in illa regione; et cum sibi eae sedes placerent, inde etiam duxit uxorem. Hanc cum caram haberet omnibusque officiis mutuam gratiam affectaret, illa deiectis luminibus maesta, crebro in singultibus et ceteris maerentis animi indicis erat. Viro denique sciscitanti maestitiae causam, se enim nullis quod sciret amicitiae muneribus defuisse: Quid tu, inquit mulier, tam egregie fingis amorem? Num putas latere me quam tibi vilis sim? Simulque largos gemitus coepit effundere.*

Ille attonitus in amplexus maerentem recepit, rogare perseverans, numquid eam offendisset. Peccavisse se forsitan, sed culpam emendatione deleturum. Ad haec illa: Ubi autem sunt verbera, inquit, quibus te amare docuisti? Hoc certe potissimum pacto, maritorum in uxores apud nos benevolentia et cura sancitur.

Hoc a Iordane auditio, primum stupor continuirisum; mox utroque vanescente, e re sua esse putavit, ut uxorem eo modo haberet, quem ipsa praescripserat; nec multo post arripuit caedendae mulieris causam, et illa fustibus mitigata tum primum bona fide amare et colere virum coepit. Nec tenuit ille modum, sed iam senior quam misera coniux optasset, ad extremum grandi ictu dicitur huius etiam crura et cervicem afflixisse.» (p. 77-78)

Hactenus de moribus. Etiam magni momenti

est aliquid scire de longinquae regionis regimine politico et civili.

In qua re nihil novi sub sole: septimo decimo saeculo, regimen non eget analysi marxistica: etenim principes iam optime sciunt religionem esse optimam populi:

•[Princeps in legibus examinandis] praeter privatos consiliarios nullos adhibet praeter paucos episcopos, abbates atque ecclesiasticos, ut melius superstitionis vulgo imponat, cui nihil sacrum et rectum videtur nisi cui ipsorum sacerdotes adfuerint, nihil durum putatur cui illi consenserint. Itaque Principes ecclesiasticos homines multis immunitatibus et honoribus cumulant, gnari nullum firmius vinculum esse tyrannicae dominationis, quam superstitionem vulgi et rituum receptorum pertinacem observantiam.» (p. 80)

•Ceterum Russi nullam habent legem scriptam; voluntas Principis suprema lex est.» (p. 93)

•Magnus Dux Moscorum regit suos populos magis despotice, quam ullus alius Princeps, quem novimus...» (p. 174)

Item de reditu principis atque de vectigalibus:

•Quid multa? Princeps adeo est absolutus, ut numquam egere possit quamdiu subditis illius aliquae opes supersunt.» (p. 99)

* * *

Libro nostro etiam longe lateque exponitur historia Russiae.

Futurus viator, postquam haec omnia legit, paratus est ad iter Russicum suscipiendum. Sed estne adhuc necessarium? Elzeviriano libro perlecto, Russiam iam satis bene novit. Poterit domi manere, alium librum emere, quo aliam noscet regionem longinquam.



ic per libros Elzevirianos tranquille recubans itinerabitur... dum sciat Latine. Una res est dolenda: propter Elzevirianum modum itinerandi - per libros -, fieri non poterit ut eius uxori accipiat pellem zebellinam. Miseret me eius.

SEPTEM CADAVERA...

NARRAT FRANCISCA DERAEDT

Septem cadavera in uno autocinetō fabricationis Mercedes. Septem ibi iacent mafiosi, quos trucidavit negotiator qui-dam persecutionibus fatigatus.

Estne hoc initium fabulae criminalis? Nequaquam. Est vita cottidiana Petropolitana talis, qualis cottidie narratur in ipsis actis Petropolitanis. Dum in universitate viri docti Latinitatem colunt, dum matres familias magno labore parvum victimū quaerunt, aeriportus ministri in meis sarcinī sibi eligunt, quae placeant, in deversorio fur noctu intrat conclave amici nostri quiescentis, a mendicis accipio alapas nisi pecuniam satis celeriter offero (unde novum proverbium: «qui non dat accipit»), septem cadavera inveniuntur in autocinetō.

Unaquaque hora (cfr St Petersburg Press, 22 Feb. 1994) in Russia committuntur 3 homicidia, 4 aggressiones, 20 despoliations, 184 fura. Non mirum, ergo, si Londiniense diarium «Sunday Times» (16 Ian. 1994) Petropolin habet ut «urbem refertam lenonibus, meretricibus furibusque» in qua vita est «horror quo nihil peius exstat, nisi flammae aeternae inferorum». Cuius symbolae auctor, conspecto hodierno statu Russiae, concludit

«omnem mutationem semper fieri in peius».

Vivaciter responsum est in diario c.t. «The Moscow Times» (3 Mart. 1994). Mendacia! Calumniae! Mala fides! Cur iste Anglus nihil dixit de pulcherrimis monumentis, de pretiosissimis artium thesauris, de magnificis palatiis? Ut breviter dicam, diurnarii Petropolitani sunt valde offensi... quamvis ipsi cottidie eadem habeant narranda.

Certe etiam offenderentur alli urbis incolae, ut hospites nostri maxime affabiles aliique homines honesti, quibus vita his temporibus est valde difficilis, sed qui nihil umquam audiverunt de altero mundo Petropolitano. Exstant enim duo mundi omnino separati, sicut multis locis; sed ibi proter nimiam paupertatem «alter mundus», mundus prostitutionis delictorumque, videtur proportionaliter nimis magnus factus esse.

Russiam non satis bene novi ut de mutationis commodo incommodo iudicem; patet tamen spem multos homines fefellisse, qui meliora exspectata nondum aspexerunt. Contra quam miseriam homines altioris animi remedium suum invenerunt sibique hoc consilium proponunt: «Dives est qui satis habet quod habet.»

INVITATIONEM AD COLLOQUIA GRAECA

PROPONIT THOMAS FUCHS

In vico quodam Graeciae nomine Σελιντικά, qui in litore sinus Corinthii prope Aegium situs est, institutio lingua Graeca antiqua loquendi, quae iam praeterito anno praebita est, horno quoque fiet mense Augusto ab a. d. XIX Kal. Sept. usque ad a.d. V Kal. Sept. anni post Romanam conditam MM DCC XL VII (14-28 m. Aug. 1994). Quo in vico Andreas Drecis habet hortum vere Epicureum, in quo domus feriatae sunt, ubi participes pernoctaturi erunt. Pro pernoctatione et institutione librisque institutoriis ducenae quadragenae marcae Germanicae erunt solvendae discipulis studiosisque, aliis ducenae nonagenae.

Hoc autem pretium solvendum erit iis, qui in conclavibus complurium lectorum pernoctabunt. Qui in conclavi unius lecti, eis plus erit solvendum.

Atque ut veniam ad res ipsas: cottidie binae loquendi exercitationes praebebuntur binarum horarum, quarum una ante meridiem fiet, altera vesperi. Inter quas participes pedetemptim et gradatim adducentur, ut in usu linguae Graecae antiquae vivo versentur: interrogabuntur enim, quid sibi nomen sit, unde veniant, quod officium gerant, aliaeque eius modi quaestiones proponentur. Ita et tirones paulatim discent enuntiata continentia Graece proferre de omnibus

rebus, de quibus aliquid dicere volent, et, qui in Graece loquendo magnos iam progressus habent, colloquentur de philosophia Platonis vel de primo libro metaphysicorum Aristotelis et Graecis, qui intererunt, lingua pura, quam καθαρέωνοσαν vocant, uti licebit, quae similior antiquo sermonis Graeci statui est.


Postmeridianum autem tempore apricentur in horto pulcherrimo, quibus hoc placet, aut, quod mare in propinquo est, natent aut per vicum secundumve litus ambulent. Postquam advesperavit, in caupona prope hortum sita omnes opipare sane et iucunde epulabuntur hilareque colloquentur palaeograece aut neograece aut Germanice aut, si quis hanc linguam callet, Latine. In horto Epicureo Andreeae edentur concentus musici, exhibebuntur fabulae, acroases flent de

rebus philosophicis vel theologicis. Etiam excursio fiet: visitabitur enim theatrum antiquum in montibus situm, quod paulo ante effossum est.

Qui ad hoc studium se conferre animum induxerit, scribito ad Andream Drecim vel telephonice cum eo colloquitor, quippe qui etiam sermone Germanico uti sciat (Andreas Drekis, «Idyllion Hellenikon», GR-25100 Selanitika/Egion; tel. 0030/691/72488; telecop. 0030/691/72791).

Qui autem scire velit, quomodo fieri possit, ut homines palaeograece eleganter enucleateque loqui possint, interroget eum magistrum, qui ibi linguam Graecam antiquam docebit. Cuius inscriptio cursualis est haec:

Thomas Fuchs, Geiststrasse 12/601, D-06108 Halle/Saale. ☰



LATINITAS ORDINATRALIS

Siquis vestrum est et Latinitatis et ordinatrorum amantissimus, haec inscriptio cursualis ei est noscenda:

The Packard Humanities Institute
300 Second Street, Suite 201.
Los Altos, CA 94022, U.S.A.
Tel. (415)948-0150 Telecop. (415)948-5793

Hoc Institutum in publicum proponit discum compactum (CD ROM) quo solo fere tota Latinitas classica continetur, una cum nonnullis textibus senioribus variisque Bibliae versionibus. Qui discus non venumdatur sed est sive in unum sive in tres annos locatius. Si res vestra interest, scribatis ad Institutum Packard.

Ceterum, ut scitis, ad discos CD ROM legendos programmata specialia sunt necessaria. Quae non praebentur ab hoc Instituto. Itaque interrogandus

erit vester subministrator rerum informaticarum.

Certiores quidem facti sumus in Germania praesto esse duo programmata, quae congruunt cum systemate IBM:

- LECTOR est programma quo textus Instituti Packard legi et ita tractari possint, ut variae inquisitiones fiant, sive vocabulorum, sive stilisticae. Venditio et informationes:

Robertus Maier
An der Schwarzbachmühle, 87
D-60529 Frankfurt am Main

- PHILOLEX pertinet ad concordantias et indices frequentiae verborum in eisdem textibus parandos. Venditio et informationes:

JCM-Computer
Posener Strasse, 5
D-63538 Grosskrotzenburg

MELCHIORIS BARLAEI

HUMANISTAE ANTVERPIENSIS INEDITA OPUSCULA ET EDITA
SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

Tempus erit, dicent cum post mea fata minores
"Melchior et vates hic aliquando fuit".¹

1. EPIGRAMMATA INEDITA²

1. In effigiem Erasmi (f. 9r)

Est mihi depicta effigies praestantis Erasmi,
sed quid cum charta cumque colore mihi?
Nil agit atque tacet, divini est pectoris exors;
certe est (quod semper picta tabella solet)
mutus, nil et agens. Et si sine mente fuisse
dum vixit, fuerat quid? Nihil. Hoc habeo.

3 solet: dolet *ante corr.*

2. In Rufum (f. 14r)

Litterulas tres verte tuo de nomine primas,
qui sis, Rufe, istis ut doceare tribus.

3. Superstitio a religione quid distet (f. 16r)

Optima religio est venerari numina, si te
caelica sincero pectore cogit amor;
vana superstitione est quid si te solus in ore
cogit adoratum numen habere timor.

4. In Caesium (f. 28r)

Cunctas Caesius improbus vicissim
nunc has nunc alias adit popinas.
Potor prodigosus est et audax,
qui semper vacua bibat crumena.
At talos toga longa pendet illi
atque est de numero sacri senatus.
Vina ingurgitat ebrium barathrum;
notus Caesius omnibus tabernis.
Nec quicquam numerat, quod exeunti
«Cras, cras inveniemus» hospes inquit.
Interponit enim decora palla
sese pro domino, et fides habetur.
Cum tempus veniet (sed illud aut nunc
aut cras), quo tunicas in auctione
coget vendere quisque creditorum,
omnes approparet: quisquis illam
mercatus fuerit sibi talarem,
ingentem emerit is fidem profecto,
ut passim vacua bibat crumena!

5. Ad rusticum imitatio Ausoniana (f. 30v)³

| | | |
|------|---|--------|
| Scis | quoniam mater vitiorum quaelibet est | urbs; |
| fac | igitur blandum tibi numquam dispiceat | rus. |
| Quod | si densa procul tutatur circumiens | saeps. |
| non | umquam salvis rebus metuendus erit | fur, |
| clam | qui digreditur ⁴ alienas diripiens | res. |
| Ut | te fortunent et agellum caelicola | di, |
| ut | quod deciduum tibi plurima ponat apis | mel, |
| mel | quod odoratis dederit nascens in agris | flos, |
| quem | passim nutrit vernans et puniceus | ros |
| cum | pictis fulget Paestanum temporibus | ver. |
| Pro | tibi nascendis celebretur seminibus | daps. |
| Sic | erit in stabulis tibi multus pinguiculus | bos |
| et | quoque proventus non parvi fetiscans | grex. |
| Hoc | namque armentum praebebit utrumque bonum | lac. |
| quod | cum frumento mixtum fit fortificans | puls. |
| Spes | numquid linquat te; nam variabilis est | sors |
| et, | quamvis pluerit modo, protinus exoritur | sol. |

6 caelicola script: caelicoli cod.

6. Voluptas et virtus (ff. 25v-26r)⁵

Voluptas

Filia Psyches
Perside natos
spirat odores;
halitus Indus
prodit ab ore
cinnama, myrrham,
nectar, amomum,
Cypria rorem
membraque fumant
oblita melle;
intus amaror
terga tenet⁶ et
luxus et oti
crimina pigri;
diruit urbes,
eruit arces
funditus altas;
est potis astu
perdere reges
atque monarchas,
sub iuga missos
luxuriei
crimine papas
reddere servos.
Semita sparsa est
mollibus herbis,
vellere rasi
mollior agni,
blanda, venusta.
Hac ea qui cum
foedera fecit
dulce iocando/
molle tuendo,
vafra voluptas
ductitat omnes;
fine potitos
deserit: illi
desuper horrent,
subtus hiatus
ora tuentes.
Impete tandem
impetuoso
instabilis tur-
batur ab alto.

Virtus

Huic inimica
unica virtus,
tetrica vultum,
sordida membra,
sordida pallam,
fixa stat omni
tempore, nullo
mobilis Austro.
Non ea fasces,
purpuram, honores
vanave vulgi
vota moratur,
et populares
despicit auras.
Horridus axis
sive tonitru et
fulmine crebro
territat orbem,
seu furit atris
Aeolus Euris,
seu strepit imbre
Iuno sonora,
lilia seu ver,
bruma pruinias,
mustea poma
duplicet aestas,
unica numquam
ipsa movetur.
Horrida damna
digna cupresso,
deliciae, non/
gaudia flectunt.
Nec titulis nec
stemmate constat;
imperat ipsi
provida sorti;
ducit alumnum
per iuga senti
montis ad illam
planitiem quae est
meta laborum.
Volvite totis
mentibus omnes
empta voluptas
funere duro
an peritura
tempore nullo,
parta labore
gaudia praestent.

2. FASTI ATQUE TRIUMPHI CONSULATUM ROMANORUM A ROMULO REGE AD TIBERIUM CAESAREM PER OGDOASTICHA DESCRIPTI⁷

1. Tiberius Nero (f. 74v)⁸

Pannonas⁹ ut Breucosque truces Raetosque subegit
partaque Vindelico pax ut opima solo est,
Martia traecto timuit Germania Rheno
sponte petens pacis condicione frui.
Cantaber in foedus solus certamine cogi
debuit, hic magnae causaque cladis erat.
Signa Nero forti cum robore barbara stravit,
ipse aliquam cladem passus ab hoste tamen.

5 in: ut ante corr.

3. DE MISERIS ET FRAGILITATE HUMANAE VITAE LIBELLUS (ANTVERPIAE, 1566)

1. (p. 27) Nunc quibus calamitatibus immersa sit
quibusque miseriis exasperetur humana vita ob
oculos ponamus. Nemo quidem id ipsum non
experitur; sed quia pauci sunt qui considerent aut
consideratione moveantur, si paucis (quod decrevi)
prosequar, non videor nullum operae pretium
facturus. Communionem huiusque lucis usuram
a quibus auspicamur initii? Scilicet a fletu et
lacrimis¹⁰. Evidentia mehercle argumenta et indicia
qualis sit nobis transigenda vita qualisque sit
exitus futurus, talis nimirum qualis introitus, flebilis
et miseriis resertissimus: ita natura futurae sortis
condicionisque conscientia infelicitatem suam non
obscure demonstrat ac testatur. Videmus (nobis
siquidem illius aetatis nulla memoria est) quam
homo omnium animalium infantium sit miserrimus.
Quam faciem refert, dum fasciatus solo extat capite;
quod negotium nutrici facessit, dum illa totum
diem dubites fastidiosioribus an spurcioribus
ministeriis insumit et ne quo ille membro informetur
anxia est, dum ex solo ploratu cuius indigeat
captare cogitur, dum buas et papas ingerit¹¹,
humo vestigia figit et assiduo vagitu misere
obtunditur ac surdescit, mille molestiis exagitatur.

2. (p. 39; de rebus domesticis administrandis)
Quod quam difficile magnique laboris sit illis qui
bestiam illam, uxorem dico litigantem, domi habent,
nemo ignorat: dum illa penes maritum principatum
esse aut nescit aut nescire vult, continentque de
hoc rixantur, hac dotem allatam obiciente, illo se
sexu suo tuente. Pauci (per Iovem) viri opulentam
uxorem ducunt, quae non egregias illas animi
dotes secum ferat arrogantium, insimulationes,
zelotypiam, querelas, mille cruces, quibus miserum
enecat maritum, ambitiones, cum suo genere
deliciarum appetentiam.

3. In *Elegia de rerum humanarum vicissitudine*
(vide adnot. 1) i.a. Horatianum illud «pulvis et
umbra sumus» poetice variatur:

31 deliciae, non: *iterav. cod.*

Desine mirari ut pulvis verratur in agris
lenivolante¹² Noti flamine: talis eris.
Prout rapiunt, prout dant volitantia nubila
Phoebum,
semper ita instabilis quod levis umbra volet
hoc quoque miraris, nec eam tangive capive:
desine, nam quotquot vivimus, umbra sumus.
Mortales sumus et praedicunt funera nomen.
(p. 60)

*De Barlaeo duobus abhinc mensibus diximus dum
ineditam epistulam in lucem primum protrahimus¹³.
Cui unum illud necesse est subiungamus, quod
octodenarius (***Panis vestratis octodenarii
nimius est**) non pro mensura ponderis positus
esse nobis videtur, sed pro octo denariis, ut
conieceramus (cfr. adnot. 12): eis enim temporibus
extabat nummus quattuor stuferorum sive denarium
octo.¹⁴ Octodenarius vero Latine sic redditus ex
altis fontibus nondum nobis est notus.*

- 1 Cfr. «Elegia Melchioris Barlaei ad Casparum Barlaeum fratrem germanum de rerum humanarum vicissitudine» in Id., *De miseriis et fragilitate humanae vitae libellus* (Antverpiae, 1566), pp. 59-63 (p. 61).
2 Antverp., Museum Plantinianum, cod. M 74.
3 Cfr. AUSON. XXV.3 Green; sunt versus monosyllabis et coepiti et finiti, attamen ita ut a fine versus non recurratur ad principium insequentis (exceptis vv. 7-8: mel/mel).
4 Ultima hulusce verbi temporalis syllaba producitur in arsi.
5 Poematia haec versibus adoniis sunt exarata.
6 Posterior huiusce verbi syllaba producitur in arsi.
7 Carmen imperfectum atque ineditum, cod. M 74, ff. 46r- 76r.

- 8 =Tiberius Claudius Nero sive **Tiberius** Iulius Caesar Augustus. Cfr. SUET. Tib. 9.
9 Pannonas= Pannonios.
10 Cfr. D. Sacré, «Nudus...infans (Lucrèce, V, 222-227). La survie d'un topo littéraire dans la poésie néolatine», Les Etudes Classiques, 60 (1992), 243-252.
11 Cfr. NON. 81M: ... cum cibum ac potionem buas ac papas vocent et matrem mammam, patrem tatum.
12 Lenivolans: est novum compositum.
13 *Melissa*, num. 58 (1994), 8-9.
14 Cfr. *Les monnaies des Pays-Bas bourguignons et espagnols 1434-1713. Répertoire général* par H. Enno van Gelder - M. Hoc (Amstelodami, 1960), p. 135.

DE TEMPORIBUS ANNI VARIANTIBUS IN MYTHOLOGIA GRAECO-ROMANA (II)

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN

CERES ET PROSERPINA ET PLUTO


Notissima fabularum, in quibus de ortu temporum anni agitur, ab Ovidio nobis narrata (Metam. V 341-661), personas principales habet Cererem filiamque eius Proserpinam ac Plutonem, regem inferorum. Ovidii narratio tam prolixa est, ut mihi hic necesse sit potissima tantum e versibus eius excerpere. Ne illae personae vivae esse omnino desinant, liceat mihi oratione obliqua deposita ipsi fabulatoris munus suscipere:

Ceres cum Proserpina filia in Sicilia, insula fertilissima, vivebat. Quodam die filia in prato flores legens repente terram patescentem aspicit ac virum coronatum truci vultu equis e profundo gurgite evehentem; qui nulla interposita mora puellam rapit, equis habenas excutit, in profunda revertens perterritam et auxilium matris frustra invocantem secum aufert. Vesperi Ceres, postquam filia domum non rediit, primo sollicitudine, deinde desperatione capta eam quaerere incipit neque



*Ceres sive Demeter
(Δημήτηρ), altera soror
Iovis, dea frugum et
fertilitatis*

usquam reperit. Tum mater facem ab Aetna succedit ac dies noctesque omnes filiae quaerendae dedicat. Dum hoc agit, ad solita munera curanda eam vires deficiunt. Quo fit, ut plantae ubique marcescant, in agris nulla seges maturescat, denique omnia florere desinant. Labuntur menses, labuntur anni; Ceres terras circumire perseverat. Tandem in Siciliam reversa Arethusae nymphae occurrit; quae nunc demum aperire audet se testem rapinae



*Pluto sive Hades ("Αΐδης),
frater Iovis, rex inferorum*

Ita Ceres certior facta fratrem suum Plutonem raptorem filiae esse ingenti furore capit, ipsum Iovem adit; flagitat eum, ut filiam sibi a Plutone statim reddi cogat - et hoc impetrat, una tamen condicione: licere Proserpinae ab inferis egredi et ad matrem redire, nisi quid ibi comederit. Mox appetet eam in hortis inferorum errantem pomum puniceum ex arbore curva decerpsisse et grana eius ore suo pressisse. Tum Ceres, cum intellegat Proserpinae revera nihilo minus apud inferos esse remanendum, tamen incepto non desistit: minatur se agros et fruges numquam iam curaturam, nisi filiam receperit.

Ovidius hoc loco Mercurii nullam mentionem facit; alii vero tradunt huius facundia «modum vivendi» tandem restitutum esse atque decretum ut Proserpina partem anni apud matrem transigeret, alteram vero apud inferos Plutoni marito dedicaret, cuius vita ceteroquin in tenebris Stygiis tristissima esset.

Hac de causa tempora anni regulariter mutantur: Ceres enim, quotiens filiam amisit, animum despondens munera sua curare neglegit atque ita procellis autumnalibus et hibernis frigoribus omnia deleri patitur; redeunte autem ad vivos Proserpina mater valde recreata et nova spe repleta efficit, ut sol rursus omnia calefaciat et post ver etiam aestatem secum referat.

VENUS ET PROSERPINA ET ADONIS

Huic aliquatenus similis est altera fabula, quam Ovidius attingit, sed non totam narrat (Metam. X 708-739), cuiusque reliquias partes ex aliis fontibus cognovimus (Schol. Theocr. 3,48; Apollod. Bibl. 3,14,4). In ea quoque trinitas personarum principalium ex uno viro et duabus feminis constat. Harum altera est Proserpina, quae tamen nunc diversi generis partes agit quam in ea fabula,

fuisse zonamque Proserpinæ de-lapsam Cereri ostendit. Addit se, dum Stygio gurgite sub terris labitur, oculis suis ipsam Proserpinam vi-disse (Metam. V 506-508):

*Illa quidem tristis
neque adhuc inter-
rita vultu,
sed regina tamen,
sed opaci maxima
mundi,
sed tamen inferni
pollens matrona
tyranni.*

quam supra exposui; altera est Venus. Tertius est Adonis, adulescens paululum obscura origine, sed singulari pulchritudine et, ut ita dicam, ambarum feminarum commune desiderium nitens (cf. Catull. 2,5). Venus ad eum sibi conciliandum tendens quodam modo Proserpinam praegreditur, quia prior ei in Phoenicia occurrit ac protinus summo eius incenditur amore. Neque Adonis Venerem videns cupidine intactus manet, sed ille non modo Veneris, sed venandi quoque aequali desiderio trahitur.

Quodam die ei ad venandum profecto obviam venit trux aper. Hic eum aggressus dilacerat et moribundum humi sternit; neque abest suspicio, quin Mars, deus bellum, cui ludi amatorii cum Venere fuerunt, zelotypia affectus aut ipse in aprum mutatus eum necaverit aut illum aprum ad adulescentem occidendum miserit.

Venus, ubi ab aethere alto gemitum morientis audivit eumque exanimem aspexit, ingenti dolore affecta desilit et cruorem adulescentis nectare odorato spargens efficit, ut hic in florem vernum brevis aevi et ventis excutientibus caducum sive in anemonem mutetur (cf. Plin. Nat. hist. XXI 23,94,§164). Interim anima Adonis ad inferos advolavit, ibique Proserpina pari, ac Venus in terra, amore eius capit - aut fortasse etiam impensis ardescit, namque, ut maritus eius antea dixit, in «domo exili Plutonia» (cf. Hor. Carm. I 4,17) constat perraro facultatem praeberi talium gaudiorum.

Nova re auditâ Venus zelotypa facta Iovem adit, rursusque huic lis arduissima dijudicanda est. Placet ei simile iudicium, atque in quaestione de Proserpina possidenda: partem anni Adonis apud inferos Proserpinam delectet, partem in terra apud Venerem versetur.

Sunt autem, qui dicant Iovem Adoni ita imperavissem, ut saltem tertiam partem anni apud Proserpinam et tertiam partem apud Venerem transigeret; reliquo tempore utram alteri praeserret, ipse decerneret: atque adulescentem - mirabile dictu! - semper Venere Proserpinæ anteposita duas partes anni in terra et unam apud inferos habitare maluisse. Utique Venus iudicium Iovis



*Proserpina sive Perse-
phone (Περσεφόνη), filia
Iovis et Cereris. Eam
Pluto rapuit et secum ad
inferos abstulit. Alia
enim ratione nulli
mulieri persuadere
potuerat, ut sibi in
tenebris Stygiis viventi
nuberet.*

similiter fert atque Ceres filiam partim sibi erexitam: quotiens dilectum amisit, maeroe capta autumnum lacrimosum et gelidam hiemem efficit; recuperato autem adulescente eadem ver dulcissimum servidamque aestatem cum novis amoribus reddit.

VARIA SACRIFIA

Ad ea, quae de Cerere et Proserpina et Plutone narravi, pauca velim addere. Dicunt Cererem, dum filiam quaerit, quondam Athenas venisse et a rege Atheniensium hospitaliter acceptam esse. Pro hac re eam, ut gratias referret, filium regis, nomine Triptolemum, multa de agricultura docuisse atque ipsi mandavisse, ut eadem alios quoque doceret. Ita homines paullatim et arare et serere et vitem ponere didicisse ac herbas noxias assiduis rastris insectari (cf. Verg. Georg. I 155), itidem frumenti metendi et terendi necnon artis pistrinalis peritiores exstisset.

Traditur Triptolemus in honorem Cereris deae Thesmophoria instituisse ac mysteria Eleusinia, sacra novendialia singulis autumnis facienda, quae sollemni pompa participum Athenis in urbem Eleusinam exsequenda concluderentur; prope hanc urbem enim locum esse, quo Ceres longo itinere defessa ad quiescendum constitisset.

Quidnam in illis mysteriis factum sit, parum constat, quod participes iis initiati id profanis aperire vetiti erant. Hoc tantum pro certo comperimus, in iis praesertim Cereri deae gratias et actas et relatas, quod homines agriculturam docendo vitam humanam feliciorem reddidisset.

Hesiodus poeta supra laudatus praeter Theogoniam etiam alterum carmen didacticum, "Ἐργα καὶ ἡμέραι (= Opera et dies) inscriptum composuit, in quo opera cotidiana agricolarum canit, ut Vergilius in Georgicis, quae paene septingentis post annis Romae sunt edita. Ambo carmina simul rebus divinis dedicata sunt; quae si perlegeris, non dubitabis, quin et Hesiodus et Vergilius censuerit agricolas nullam rem bene gesturos fuisse, nisi omnibus temporibus anni debita sacra divina diligentissime procuravissent.

Nec solum Cereri, sed etiam Plutoni, regi inferorum, et Proserpinae reginae, rite sacrificari oportere; praesertim homines ruri viventes usu cotidiano edoceri haec numina non esse horrenda, sed potius veneranda, ut propria manerent atque agricolis caelum salubre et ventos secundos prosperarent.

Romanos praeterea censuisse constat Martem praecipuis sacrificiis placandum esse, ne agros bello vastari sineret; id cum ex iis apparent, quae de Ambarvalibus tradita sunt, tum e carmine Arvali pervetusto, in quo Mars inter alia his verbis oratur: «... neue lue rue Marmor sers incurrere in pleoris» (= neve

luem, ruem, Mars, Mars, siveris incurrere in plures?).

VER APPETIT -

PATER CAELESTIS AETHER ET MATER TELLUS COEUNT

In libro secundo Georgicorum Vergilius viginti tribus versibus (II 323-345) ver describit coniugium quoddam caeleste inter patrem omnipotentem Aetheram et Tellurem matrem factum; e quibus versibus potissimos (II 325-335) hic exscribo:

Tum pater omnipotens secundis imbris Aether coniugis in gremium laetae descendit, et omnis magnus ait magno commixtus corpore fetus. Avia tum resonant avibus virgulta canoris, et Venerem certis repetunt armenta diebus; parturit almus ager Zephyrique tepentibus auris laxant arva sinus; superat tener omnibus umor, inque novos soles audent se germina tuto credere, nec metuit surgentis pampinus Austros aut actum caelo magnis Aquilonibus imbre, sed trudit gemmas et frondes explicat omnis.

IPSA TEMPORA ANNI VIVAE PERSONAE FIUNT

Alii poetae ex ipsis temporibus anni personas vivas faciunt. Velut apud Lucretium pompa harum figurarum celeberrima cum comitibus velut in scaenam prodit (V 736-747):

It Ver et Venus et Veneris praenuntius ante pennatus graditur, Zephyri vestigia propter



Horae ("Ὦπαι), filiae Iovis et Themidis, apud Graecos initio tres esse existimabantur: Iustitia sive Dike (Δίκη), Lex sive Eunomia (Εὐνομία), Pax sive Eirene (Εἰρήνη). Detinde eadem tribus temporibus anni (veri, aestati, autumno) praesidere credebantur. Postea quarta filia ad eas addita est; quae tamen rarius nominari et describi solebat, quod hiems - contra, atque cetera tempora anni - imprimis quieti et somno consecrata esset. Romani demum poetae Horas quattuor puellas saltantes describunt.

*Flora quibus mater praespargens ante viai
cuncta coloribus egregitis et odoribus opplet.
Inde loci sequitur Calor aridus et comes una
pulverulenta Ceres <et> etesia flabra Aquilonum.
Inde Autumnus adit, graditur simul Euhius Euan.
Inde aliae tempestates ventique secuntur,
altitonans Volturnus et Auster fulmine pollens.
Tandem bruma nives adfert pigrumque rigorem
reddit Hiems, sequitur crepitans hanc dentibus
Algor.*

Memoranda sunt hoc loco etiam Horae, filiae Iovis et Themidis, initio tres, postea autem quattuor, quae singulis temporibus anni praesidere credebantur et a poetis crebro describebantur, e.g. ab Ovidio his versibus (Metam. II 25-30):

*A dextra laevaque Dies et Mensis et Annus
Saeculaque et positae spatiis aequalibus Horae.
Verque novum stabat cinctum florente corona,
stabat nuda Aestas et spica sertis gerebat,
stabat et Autumnus, calcatis sordibus uvis,
et glacialis Hiems, canos hirsuta capillos.*

CARPE DIEM!

Q. Horatius Flaccus, celeberrimus poeta lyricus aetatis Augustae, cuius e morte die 27 praeteriti mensis Novembris duo milia annorum elapsa erant, duo conscripsit carmina (I 4 et IV 7), quibus ea, quae ipse de variantibus temporibus anni sentit, exemplis mythologicis illustrans canit. In utroque eorum ver variis coloribus pictum morti asperae opponit. In posteriore carmine monet aestate ver proterente, pomifero autumno fruges effundente, bruma inertire recurrente tamen celeres lunas semper damna caelestia reparare et circuitum quendam naturae continuari; hominem vero, ubi eo deciderit, unde nullus est redditus, nihil nisi pulverem et umbram fore, quantacumque nobilitate aut

facundia aut pietate in vita fuerit; ne deos quidem nec deas aut heroas vincula mortis abrumpere valere. Proinde unicuique nostrum carpendum esse diem, perfruendum esse vita, dum fieri possit, neque semper de heredibus avidis cogitandum. Liceat mihi hoc carmine recitato acroasin meam concludere:

*Diffugere nives, redeunt iam gramina campis
arboribusque comae;
mutat terra vices, et decrescentia ripas
flumina praeterirent.*

*Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
ducere nuda choros.
Immortalia ne spores, monet annus et alnum
quae rapit hora diem.*

*Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aetas
interitura, simul
pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
bruma recurrit iners.*

*Damna tamen celeres reparant caelestia lunae;
nos, ubi decidimus,
quo pater Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
pulvis et umbra sumus.*


*Quis scit, an adiciant hodiernae crastina summae
tempora di superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
quae dederis animo.*

*Cum semel occideris et de te splendida Minos
fecerit arbitria,
non, Torquate, genus, non te facundia, non te
restituet pietas.*

*Infernus neque enim tenebris Diana pudicum
liberat Hippolytum,
nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
vincula Pirithoo.*



Numina mysteriorum Eleusiniorum. In curru sedet Triptolemus (Τριπτόλεμος, id est 'ter arans'), filius regis Atheniensium, quem Ceres multa de agricultura docuerat et a quo alii eadem didicerant. Sinistra Ceres, dextra Proserpina.



A dextris: Iacobus Borovskij, Alexander Gavrilov,
Thomas Pekkanen, Gaius Licoppe

Professor Jacobus Borovskij Petropolitanus, cum eum 27.4.1993 domi ipsius primum visitarem, mihi abituro dono dedit exemplar articuli «In temptata nites» (Hor. carm. I,5) petens, ne meam de eo sententiam dubitarem divulgare; semet ipsum scriptum illud, licet parvulum, ex omnibus quae in vita sua divulgasset, optimum iudicare. Libenter, quod petiverat, me facturum sum pollicitus, sed quam maxime doleo, quod ea, quae de dicto carmine adhuc Borovskio vivente scripseram, publice proponere non potui, antequam tristis nuntius de obitu collegae dilectissimi nobis est allatus.

Quis multa gracilis te puer in rosa
perfusus liquidis urget odoribus
grato, Pyrrha, sub antro?
cui flavam religas comam
simplex munditiis? heu quotiens fidem
mutatosqe deos flebit et aspera
nigris aequora ventis
emirabitur insolens,
qui nunc te fruitur credulus aurea,
qui semper vacuam, semper amabilem
sperat, nescius aurae
fallacis. miseri quibus
in temptata nites: me tabula sacer
votiva paries indicat uvida
suspendisse potenti
vestimenta maris deo. (Hor. carm. I,5)

In tractatione, quam in commentariis Universitatis Pataviniae (Quaderni dell'Istituto di filologia latina 1976, No 4, p. 93-98) nomine «In temptata nites» divulgatam, a corruptelarum sordibus purgatam iterum edidit (Hommages à R. Schilling, édités par H. Zehnacker et G. Hentz, Collection d'études latines, série scientifique, fascicule XXXVII, Société d'édition Les belles lettres, Paris 1983, p. 250-252), professor Borovskij de carmine Horatiano I,5 agens primus omnium doctorum ostendit inter exclamationem «miseri quibus in temptata nites» et periodum, qua vates

IN MEMORIAM IACOBI BOROVSKIJ

SCRIPSIT THOMAS PEKKANEN

imaginem inconstantiae femininae inducit («heu quotiens fidem» etc. usque ad «nescius aurae fallacis»), nexum subesse adversativum, non consecutivum:

«Nempe non eos miseros dicit Horatius quibus aliquando experiri necesse est Pyrrhae inconstantiam, quippe quam ipse iam dudum expertus sit, sed eos qui neglecto Pyrrhae nitore ne temptaverunt quidem amore illius potiri, seu nativa scilicet animi ignavia et torpore seu rationibus et praeceptis Pomponianorum similibus deterriti.» ... «maxima extat oppositio inter haec verba (sc. miseri quibus etc.) et superiora; non iam de amatoribus agitur, sed de eis qui nitorem Pyrrhae neglexerunt, subauditur scilicet coniunctio adversativa» ... «sic igitur Horatium intellege: «... et tamen miseri sunt quibus in temptata nites».»

Ex interpretatione Borovskiana Horatius in fine carminis «non ob eam rem dis agit grates quod amore Pyrrhae liberatus, sed quod amore, licet sicut omnia humana fugaci, donatus sit, et quod discidii dolorem serena mente ut virum et sapientem decet ferre didicerit.»

Mira sagacitate Borovskij noster docet gemellum fere carminis I,5 esse in triade carminum librorum quintum a fine, scilicet III,26, ubi Horatius, militia amoris sollemniter finita armisque depositis (vv. 1-8) inopinanter (vv. 9-12) Venerem orat, ut Chloë arrogantem sibi conciliat:

Vixi puellis nuper idoneus
et militavi non sine gloria;
nunc arma defunctumque bello
barbiton hic paries habebit,
laevum marinae qui Veneris latus
custodit. hic, hic ponite lucida
funalia et vectes et arcus
oppositis foribus minaces.

o quae beatam diva tenes Cyprum et
Memphim carentem Sithonia nive,
regina, sublimi flagello
tange Chloë semel arrogantem.

Multoties odam de Pyrrha coram studentibus tractavi, sed demum commentatione Borovskiana lecta vim eius mihi videor recte intellexisse. Itaque paraphrasim carminis rhythmicam scripsi, ubi interpretationem collegae dilectissimi sum secutus. Prima pars eius, scilicet versus 1-16, etiam in disco compacto «Variationes Horatianae iazzicae» Regina

Rimón cantante auditur.

Iuvenis quis gracilis rosis coronatus,
liquidis odoribus fusus, tibi gratus
adit te sub arboris foliis opacis
credulus et gratiae nescius fallacis?

Pyrrha, quem nunc alicis candidis capillis,
simplici munditia, nudis et papillis? -
Quotiens mirabitur maris tempestatem,
et mutatam numinum flebit voluntatem!

Heu mutatamque quotiens flebit tuam fidem
obstupescens asperum maris aequor idem,
hodie qui fruitur te, qui sperat semper
vacuam, amabilem, id quod es parumper!

Attamen sunt miseri, quibus non amata,
quibus mente torpidis nites intemptata,
qui te, Pyrrha florida, numquam petituri
ob nitorem feminae non sunt perituri.

Duabus fere septimanis post, quam iter
Petropolitanum - mihi iam alterum - una cum Gaio
et Francisca feceramus, haec epistula, a professore
Alexandro Gavrilov 15.3.1994 data, et nobis et
Patri Caelesti Eichenseer est allata: «Doleo maxime
tecum... communicare omnium qui nunc Petropoli
litteris Latinis student praceptorum, virum
humanissimum... Jacobum M.f. Borovskij a.d. III
Nonas Martias (vulgo 5 III 1994) diem supremum
obiisse. Amicis eius et discipulis adhuc viventibus
hoc manet solatum, magistrum Jacobum qua erat
doctrina sapientia affabilitate vitam egisse non
solum longam, sed plenam et turbulentissimis
huius saeculi rebus circumspectis haud infelicem.
Commemorare hic sufficiat, ultimo vitae suae die
ad eas, quas pridie accepisset lexici sui plagulas
emendandas castigandasque sollemniter
accessisse.»

NUM OMNIS LIBER LATINE SCRIPTUS FAVEAT LATINITATI

Iosepho Amadio Melissae - et Latinitatis - fidelissimo amico gratias agimus plurimas quod nobis donum misit librum, qui in Italia nuper editus est: **Piero della Gherardesca, Il Latino per tutte le occasioni. Manuale di conversazione per l'uomo d'oggi, illustrazioni di Federico Sardelli, Mediolani, Sonzogno, 1994** (Libri & Grandi Opere, Via Mecenate 91 - I-20138 Milano).

Quem librum Iosephus Amadio his verbis optime describit: «Hic libellus, more enchiridiorum quorundam ad linguas externas facillime celerrimeque addiscendas (Vide etiam vestrum "Vade mecum" viatoris Latini!), praebet fere quadringentas sententias. (...) Hae sententiae sermonis communis hodierni, fere semper hilares, saepe vulgares sive sordidae, nonnumquam nimis sordidae, et Italice et Latine proponuntur. (...) Re vera totus liber locosus est immo ridiculosus. Colloquia variis locis circumstantiisve proposita quasi facetiae sunt.»

Et hoc est verum: opus vult esse facetum, sed auctor et illustrator non satis curant qui limites sint interponendi inter risum et sordes. Exempli gratia, sententia quae est «Guarda il culo della giornalista - Aspice nates diurnariae» non semel legitur, sed octies; nam videtur esse sententia multis occasionibus proferenda: in theatro (p. 59), ad concentum musicum (p. 60), in conventibus litterariis (p. 63) poeticisque (p. 65), in expositionibus (p. 66), in cinematœ (p. 70), inter familiares (p. 81), ante televisorium (quamquam hic agitur de mammis illius aspiciendis, non propter variationis delectationem, sed quia in emissionibus televisificis diurnariae solent frontem ostendere potius quam partem posteriorem). Talia non sunt faceta, sunt suilla. Dolendum.

Sunt tamen etiam sententiae iucundae, sicut hae, quae proponuntur autocineto nostro apponendae: «Arride - Infans vehitur - Balaenæ nobis servandæ sunt - Vis atomica? Gratias, minime quidem - Si hanc notulam conglutinatam legere potes, liberaliter educatus nimisque propinquus ades.»

De Latinitate hoc solum dicam, me peccata non pauca in textu invenisse (facit p. 91, audivisti quid pater tuus dixit p. 105, artem tuam tibi docere nolo p. 40 etc.; etiam de neologismis condendis auctor non videtur serio cogitavisse). Postea multum risi, cum ultimam legerem paginam ubi auctor dicit se «errores suos falso nomine celavisse». Pudor intellegibilis! Ceterum errare humanum est atque ego ipsa in hac re sum valde humana.

Iosephus noster Amadio quaerit, num res prospicit Latinitati: «Quid dicendum? Favebitne hic liber Latinitati Latinitatisque amatoribus an non? Mea sententia in Italia, quamvis modice, favebit. In diario Taurinensi «La Stampa» die 12.2.1994, post hunc librum annuntiatum, diurnarius Marcus Neirotti interrogavit Eduardum Sanguineti poetam eximium, qui acriter dixit: «Latinitas mea interest ut lingua emortua. Usus cottidianus (illius sermonis) est res mira, ridicula, desueta sive anachronistica». Quae cum ita sint, hic quoque liber mihi videtur favere Latinitati vivae.»

Si propter hunc librum quaestio Latinitatis vivae tractabitur a diurnariis, hoc iam erit aliquid boni. Item de venditione libri, si pendet a longitudine recensionum. Plura enim dici solent ibi ubi aliquid est contradicendum, quam ubi nihil invenitur contradicendum. Inde longiorem symbolam, inde maius praecönium! Haec est (iniusta) vita.

Francisca DERAEDT



LATINITAS VIVA

UBI COLATUR

SEMINARIA LATINA

Latine loqui docere: hic est scopus seminariorum a Societate Latina institutorum. Eorum peritissimus moderator est Dr P.C. Eichenseer, qui iam ab anno 1973 talibus seminariis innumeros homines induxit ut Latine loquerentur. Eius cooperatrix D.rrix Sigrides Albert iuniores separatim curat atque delectabiliter impellit in colloquia Latine habenda.

Duo seminaria anno 1994 fient:

Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 17 in diem 23 mensis Iulii

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM
Universität - FR 6.3
Postfach 1150
D-66041 Saarbrücken

Vavriae (Wavre) in Belgica a die 5 in diem 12 mensis Augusti

Scribatis ad: Gaium LICOPPE
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles

L.U.P.A.E SEMINARIUM PRAGENSE

Fiet a die 30 mensis Iulii in diem 6 mensis Augusti. Praeter sermones, orationes, disputationes cantus, concentus, excursiones Pragae offeruntur. Tirones etiam exspectantur, atque Graece licebit loqui.

Scribatis ad: Marium ALEXA
Burgstrasse, 3
D-59368 Werne

FERIAE LATINAЕ

a Dre Suitberto Siedl OCD institutae. Moderatores eas fieri volunt "Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiciacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo..."

Feriae Tinienses a die 16 in diem 23 mensis Iulii

Scribatis ad: Felicem W. KUCHER
Kat. dom prosvete
A-9121 Tainach/Tinje

Feriae Nicense a die 21 in diem 28 mensis Augusti

Scribatis ad: Clementem DESESSARD
Résidence des Collines, C9
500, Rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu

Feriae Syracusanae a die 3 in diem 10 m. Septembbris

Scribatis ad: Georgium Di Maria
Via Resuttana, 352
I-90146 Palermo

DOMUS LATINA

Sessiones Latinae fiunt Bruxellis in Domo Latina, ad quas participandas omnis latinista libenter invitatur. Si quis de his plura scire cupit, scribat ad Melissam.